

Q. B. P.

# THESES PHILOSOPHICÆ,

Quas,

*Conf. Ampl. Fac. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi*

PRÆSIDE

## HENRICO HASSEL,

Eloquent. PROFESSORE Reg. & Ordin.

RECTORE h. c. MAGNIFICO

PRO GRADU

*ad examen publicum modestè defert*

ADAM GERHARD SACKLINIUS *Laur. Fil.*

*Borca Finlandus*

Ad diem V. D. XX Junii A:o MDCCXLV.

---

ABOÆ, Excud. JOH KIÆMPE, Reg. Acad. Typ

*H. Rennerus.*





*Thes. I.*

**L**ingva universalis, Philosophica nonnullis dicta, in se quidem non est impossibilis; quod autem nunquam extitura sit, facile intelligit, qui ingenium humanum vel tantillum perspexit.

*Thes. II.*

**I**n una quaque lingva multa dantur vocabula, quibus in alia nullum æquipollens respondet, adeoque, si vis eorum est exhaurienda, in subsidium vocari debet periphrasis.

*Thes. III.*

**P**lurima in scriptis veterum occurrunt

4  
runt, quæ olim erant perspicua  
jam autem facta sunt obscuriora, quia  
res ipsæ, de quibus egerunt, atque  
tum erant familiarissimæ, non ampli-  
us existunt, variaque instituta, animis  
auctorum inter scribendum obversata,  
dudum exoleverunt, exigua tantum  
& admodum imperfecta eorum super-  
stite notitia

*Thef. IV.*

**H**æc autem antiquitatum scientia,  
quantilla demumcunque sit, quæ  
obtineri potest, ad intelligentiam ve-  
terum comparandam majorem in mo-  
dum conducit; unde nec mirum, vi-  
ros eruditissimos tantum ei operæ stu-  
diique impendisse.

*Thef.*



**S**tudium Lingvarum & Philologiæ, renascentibus primum literis, maxime erat arduum, quum pauciora ejus exstarent subsidia; jam vero adeo est excultum, ut quæ ad viam hancce explanandam facere queant, pauciora omnino sint, quæ desiderari videantur.

## Thes. VI.

**Q**ui ex hac parte etiamnum sibi a barbarie metuunt, nimis utique sunt scrupulosi.

## Thesis VII.

**Q**ui in Scriptores veteres magno numero prodierunt commentarii, in illis viri maturioris judicii hos observarunt defectus, quod eorum auctores  
vel

vel criticis conjecturis plus justo indulgentes, quæ nulla emendatione indigebant, mutando, varia loca corruerint, vel etiam, ut multiplicem ostentarent lectionem, quæcunque cum materia substrata vel tantillum affinitatis habere viderentur, undiquaque congererint; quum potius illa duntaxat seligere debuissent, quæ vero sensui eruendo directe inservirent.

*Thef. VIII.*

**Q**ui regulas grammaticas ex principiis Philosophicis demonstrare conantur, hi jure censentur desegBarrii quum non lingua ex Grammatica, sed hæc ex illa & usu magistro illo loquendi pendeat.

*Thef. IX.*

**I**nter cæteras stili virtutes primum locum

cum

7  
cum tribuimus perspicuitati, quæ,  
si absit, omnis reliquus ornatus hunc  
non compensabit defectum.

*Thef. x.*

**P**roinde pueriliter errant, qui in-  
solentia verba, modosque loquen-  
di minus usitatos, studiose consecretantur  
& orationi intrudunt.

*Thef. xi.*

**N**ec parum perspicuitati officit ni-  
mia periodorum prolixitas; quum  
ut plura objecta uno oculi ictu adcura-  
te perlustrari nequeunt, ita neque res  
multas semel atque simul animo con-  
cipere valeamus.

*Thef. xii.*

**A**d perspicuitatem etiam plurimum  
con-

confert ordo, quo res ita sistuntur, prout una ab altera dependet, vel mutuam quandam inter se habent relationem.

*Thef. XIII.*

**N**emo potest perspicue loqui vel scribere de argumento, quod plene non intelligit.

*Thef. XIV.*

**Q**ui universalia in particularibus contemplari, & ex particularibus universalia elicere possunt, hi profundo gaudent iudicio.

*Thef. XV.*

**Q**ui cosmogonias scripserunt Philosophi, dum ingenium ostentare



care voluerunt, suam prodiderunt stultitiam.

*Thes. XVI.*

**M**ulta apud vulgum latet scientia, quæ collecta & cum publico communicata, plus emolumenti societati humanæ adferret, quam subtilissimæ speculationes.

*Thes. XVII.*

**P**hilosophia, ceteræque artes ingenuæ, apud Romanos nunquam ad illud fastigium pervenerunt, quod apud Græcos attigerant.

*Thes. XVIII.*

**V**itia & naves Philosophiæ Græcæ Illustris Baco de Verulamio optime detexit.

B

*Thes. XIX.*

**I**ntolerabilem prodiderunt fastum Græci, quum omnes extra Græciam constitutos, barbaros vocitarent.

*Thef. XX.*

**C**ypœdia Xenophontis ad excitandum formæ regiminis Monarchicæ odium facta videtur.

*Thef. XXI.*

**P**rudens admodum erat institutum Lycurgi, quo cautum voluit, ne cives sui Lacedæmonii cum iisdem hostibus diu bellum gererent, ne hi sæpius pugnare coacti, armorum peritiam acquirerent; quod dum neglexit Agesilaus contra Thebanos, victus ab Epaminonda sprete sapientis consilii, meritas luit pœnas.

*Thef. XXII.*

**R**epublicam inter Laconicam atque Romanam in eo magna deprehenditur convenientia, quod utraque erat militaris, adeo ut res bellica omnia propemodum instituta civilia absorpserit.

*Thef. XXIII.*

**Q**uod Romani artes manuarum inter illiberales referrent, id non solum hanc ob causam est factum, quia ad illas exercendas servorum ministerio utebantur, verum etiam quia rapto vivere erant adveti.

*Thef. XXIV.*

**F**adanta nobis is dicitur, qui, puerorum instar, ea magni aestimat, quae

quæ parvi fieri debent. Sic puer malum aut crepundia auro vel gemmæ præfert. Sic Literatorum quidam elegantiz phrasium & metaphorarum perspicuitatem, ordinem, imo ipsam veritatem postponunt.

*Thef. XXV.*

**E**rrant, qui prædantismum inter Literatos tantum quærunt, quum in omni hominum genere, præsertim vero in aulicis inveniatur. Quis enim ignorat hos vanissima sæpe sectari, iisdemque enorme pretium statuere? Et miseri mortales in vero rebus pretio definiendo frequentur hallucinantur; proinde nemo eorum a prædantismo est immunis.

S. D. G.

